





¶ 1<sup>b</sup> de usufructu Praes. Lilien.

Vof. xxii.

Lil. Nr. 30 + 31 folgen bei Feuerung  
des Landes A. 1859.

L. L.



Obb 2. D. B. V.  
DE

27

**JVRIBVS  
VICARIORVM  
S<sup>RI</sup> ROM. IMPERII**

**IN AVREA BVLLA EXPRESSIS**

AVSPICIO  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
*SERENISS. PRINCIPIS REGI*

**FRIDERICI AVGVSTI  
PRAESIDE**

**JO. BALTHAS. WERNHERO, D.**

PAND. PROF. PROF. PVBL. COLLEGIORVMQVE  
JVRIDICORVM ASSESSORE  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

*AD D. JVL. M DCC XI.*

*H. L. Q. C.*

PVBlice DISPVTABIT

**ANTONIVS FISCHERVS**

OERINGENSIS HOHENLOGICVS.

EDITIO SECVNDA.

VITEMBERGAE, STANNO GERDESIANO. 1717.









D E

JURIBUS VICARIORUM  
SACRI ROMANI IMPERII IN  
AUREA BULLA EXPRESSIS.

---

§. I.



Efuncto eo, penes quem summa Potestas, quam *Majestatis* nomine appellant, fuit; eandem ad Populum, tanquam subjectum commune, reverti, palam est, nisi pacto, seu lege fundamentali eadem in liberos, aliosve transeat. Quod in Regnis successivis ac hereditariis usu venire solet.

§. II.

Nam in illis Regnis, ubi per modum Electionis, nulla liberorum ratione habita, nec alio successore destinato, Imperium defertur; vim pacti, quo plures unius se voluntati submiserunt, per se tolli & extingvi oportet, cum alter paciscentium esse desinit.



## §. III.

Tum igitur in Populi arbitrio est, quid de summa Potestate ad se reversa statuere, an eam rursus uni, an, commutato Reip. statu, pluribus deferre malit. Sed, siue pristina ejus facies, ut fieri solet, retinenda videatur, siue nova arrideat; interim, dum de alio Capite eligendo agitur, *Interregnum* esse intelligitur.

## §. IV.

Hoc autem, si penes omnes Imperium resideat, cum plerumque, distractis animis, & in tumultus ac dissidia pronis, publicæ rei periculosum sit; antevertendis tot tantisque malis, quandoque Lege perpetua ac fundamentalis designantur, penes quos Interregni tempore Summa rerum esse debeat, iidemque *Vicarii Principes* seu *Interreges* audiunt.

## §. V.

Planum vero est, Hos tali casu eandem specie Majestatem obtinere, quæ penes defunctum fuit, omniaque posse, quæ defunctus potuit, nisi potestas eorum certis limitibus circumscripta fuerit. Quales si pacta aut Lege fundamentales haud designent, nulla alia differentia locum habere potest, quam quod defuncti Principis potestas perpetua fuerit, nec nisi cum spiritu extincta; contra ea Vicariorum potestas temporaria sit, cum electione novi Principis finienda.

## §. VI.

Neque enim quisquam rerum Civilium peritus facile inficietur, Imperium in aliquem ad tempus æque, ac ad dies vitæ, conferri posse. Nam id omne a pacto, quo Populus potestate sua se abdicat, eandemque in alium derivat, pendet.

## §. VI.



## §. VII.

Quocirca tali casu, ubi per legem fundamentalem in antecessum designati sunt, in quos post Principis obitum Vicaria potestas transferri debeat, palam est, Majestatem, eveniente casu, non ad Populum, ut ordinatum fieri solet, reverti, sed ad illos Vicarios, ceu proprium subjectum, ad tempus transire.

## §. IIX.

Hujus generis Vicarii, per Legem fundamentalem designati, toto cœlo distant ab illis, per quos Populus, durante Interregno, Summæ Potestatis jura quandoque administrat. Hi enim nudi Magistratus instar habent, & Populo ad reddendas rationes tenentur; nec potestate propria gaudent, sed tantum alienam, quæ penes populum residet, exercent. Contra ea Illi, quibus per Legem fundamentalem Majestas defertur, potestatem obtinent, non alienam, sed propriam, eandemque Summam ac Independentem; Eorumque actus alterius arbitrio irriti reddi haud possunt.

## §. IX.

Percelebre hujus generis Vicariorum exemplum in Imperio Rom. Germanico est, ubi Vicaria ejus administrandi potestas defertur Binis Electoribus, Saxoni & Palatino, ex dispositione *Aureæ Bullæ cap. 5.* Quamvis fateri oporteat, Augustissimum hoc munus nonnisi *confirmatum* Iphis ea Lege esse; cæterum ejus initia a vetustissimo Germanorum Instituto repetenda. De quo sine ratione aliqui ratione Vicariatus Saxonici dubitant.

## §. X.

Dissentit præter alios *Buxtorf. ad A. B. n. 56. in fin. lit. b.* ubi ait: *Textum A. B. subtiliter consideratum innuere videri*



*jus Provisionis Electori Saxonie primum per hanc Bullam datum fuisse.* Ad quam conjecturam suam stabiliendam primo affert, quod *A. B.* nullius antiqui privilegii, aut consuetudinis antea receptæ, mentionem injiciat. Atqui, ut id fieret, opus non fuit, quum plenissimum illi Muneri robur ab ipsa *A. B.* accederet. Et tralatitium est, a simplici silentio ad negandam rei veritatem nullum solidum, imo ne quidem probabile, argumentum duci posse. Neque Exemplum Palatini ad rem facit, nisi quod magis pro firmanda Vicariatus Saxonici antiquitate, quam ad eam destruendam, citari queat. Cum enim *Aurea Bulla*, de Saxone disponens, sese ad Palatinum referat; eadem utrinque momenta fundamentaque tanti muneris adfuisse, videri queunt. Neque loca, quibus *Buxtorfius* nititur, *ibid. lit. a.* citata ipsius opinionem juvant. Quamvis enim in illis Vicariatus Palatino Rheni tribuatur; nusquam tamen Ipsi cum exclusione Saxonis eundem tribui videas, *Add. M. Freber. de Orig. Palat. L. 1. c. 15. p. 109. & ad P. de Andlo p. 199.* Tantum abest, ut ex verbis illis: *Eodem jure Illustris Saxonia Ducem frui volumus, cum Arumæo ad A. B. c. 5.* inferri queat, sola Caroli voluntate jure Vicariatus Saxonem potitum esse.

## §. XI.

Nec vero potestas Vicariorum tantum, Imperio vacante, sed etiam eo casu, quo absens Imperator est, sese exerit. Quippe Germaniam, si Imperatores, forte in Italiam digressi, peregre abessent, per Vicarios administratam fuisse, constat. Quo facit Privilegium Caroli IV. Imperatoris ante tempora conditæ *Aureæ Bullæ Ruperto, Electori Palatino*, concessum; quod deinceps *Maximilianus & Carolus V.* Imperatores, novo robore firmarunt; idem-  
que



que extat ap. *Goldast. in Reichs: Satz. p. 241. Add. Freher. L. 1. Orig. Palat. c. 15.* Sicuti etiam Carolus IV. ex Italia redux interim gesta peculiari Diplomate confirmavit, vid. *Tract. d. Vic. Imp. Palat. defens. sub Adjunct. 7. & R.* Et ne quis forte putet, quod multos sentire constat, hæc talia non æque ad Saxonem, ac ad Palatinum, pertinere, omnem scrupulum eximere potest Constitutio illa, quæ extat ap. *Goldast. c. 1. p. 243.* qua *Carolus V. Imp. Ludovicum IV. Palatinum, & Fridericum III. Saxonem*, Electores, securos esse voluit, Regiminis Imperii Ordinationem Iphis ratione Muneris Vicariatus haudquaquam fraudi futuram. Unde manifeste, puto, colligitur, Muneri Vicariatus in casu Imperatoris vivi, sed absentis, exercendo per dispositionem *A. B. Tit. 5.* haud derogatum, sed Illam non minus ad hunc, quam Interregni, casum referendam esse. Sicuti etiam verba: **Uber Berg** / quibus sine dubio Alpes Germaniam ab Italia sejungentes significantur, non captari & exclusive intelligi debent; sed Vicariatus muneri in cujusvis absentia, similive, casu, locus est; cum in omnem eventum Imperio per hujusmodi Vicariam administrationem prospectum esse intelligatur.

## §. XII.

Evidentius hoc patet ex *Capitulatione Josephina art. 47.* ubi hæc habentur: Wir sollen und wollen Uns auch keiner Regierung oder Administration im Heil. Röm. Reich / so lang Ihre Kayserl. Majest. im Leben, oder nach dero Todt (welchen Gott lang verhüten wolle) zu Præjudiz der Reichs-Vicarien/welche immittelst die Reichs-Administration führen / die Expedition aber in unsern Nahmen verfügen sollen / unterziehen / bis wir das achtzehnde Jahr unsers Alters erreicht und angefangen ha-



haben. Quo circa fallitur *Limneus*, quando in *Addit. ad Jus Publ. c. 12. n. 40.* Vicariatum Saxonicum in casu absentiae locum habere, negat; si vel maxime ipsi daremus, verba *A. B.* ad casum absentiae similisve impedimenti referri haud posse.

## §. XIII.

Sequitur, ut indagemus terminos, quousque Vicariatus uterque sese extendat. Designat illos *A. B. L. 5. §. 1. & 2.* ut Vicariatus Palatinus in partibus Rheni, Sveviae, & ubi Jus Franconicum in usu, obtineat; Saxonicus autem illis in locis, ubi Jura Saxonica servantur. Per jus Saxonicum haud dubie intelligitur illud, quod Speculo Saxónico, aliisque Saxonum moribus ac Legibus, continetur, & successu temporis variis Constitutionibus auctum est. Cæterum quid jus Franconicum sit, non convenit inter Scriptores. *Besold. in Thes. Pract. voc. Gebieth/* putat, districtum jurisdictionis eodem significari. Sed cum Vicariatus Palatinus longe ultra Franconiae fines se extendat, haudquaquam probabilis illa *Besoldi* sententia videtur; praesertim cum *A. B. c. 1.* fines Vicariatus Saxonici definiat illis locis, ubi jura Saxonica servantur. Unde colligitur, parem in modum per jus Franconicum non districtum Franconicum, sed omnia loca denotari, in quibus illo tempore Juris Franconici usus floruit. Enimvero nec illud dubio omnino vacat, quale sit illud jus *Franconicum*, cujus *A. B.* meminit. Hoc idem cum *Svevico* esse, conjicit *Limn. L. 3. J. P. c. 12. n. 17.* Sed & hoc quale sit, non satis explicat. Putarim, ad exemplum juris Saxonici illud intelligi, quod moribus fere introductum, majori ex parte *Speculo Svevico* continetur. Utriusque enim hu-



hujus juris usus in diversis Germaniæ partibus post Caroli M. Imp. tempora invaluit.

§. XIV.

Quocirca ut cognoscamus speciatim terminos, intra quos uterque Vicariatus exercetur, ad id respiciendum, quæ terræ ac provinciæ tempore illo, quo *A. B.* condita, Jure Franconico & Saxonico usæ sint. Quæ ratione existimari solet, Vicariatus Palatino subesse Sveviam, Franconiam, Bavariam, Austriam, ditionem Rhenanam, & quicquid terrarum ad Alpes usque porrigitur, contra quicquid terrarum ultra Sylvam Thuringicam in Saxonia superiori ac inferiori est, usque ad mare Balthicum, ad Vicariatum Saxonicum refertur. Imo & Bohemia, aliæque provinciæ in hunc censum veniunt; *Goldast. Pref. der Reichs-Satz. p. 291. Limn. c. 12. n. 13. seqq. Add. Per-Illustris Autor. Fec. Europ. Tit. von denen Reichs-Vicarien p. 164.* Ubi limites Vicariatus Saxonici ita designat: Was Chur-Sachsen anlanget/ erstreckt sich dero Aufsicht und Reichs-Verwaltung nicht allein auff die Creysse der Ober- und Nieder-Sächsischen Lande/ als Thüringen/ Meissen/ bis an Francken-Land/ Ober- und Nieder-Sachsen/ die Marck Brandenburg/ Pommern/ von der Weixel an bis an die Weser/ und über die sämtliche Magdeburgische / Halberstädtische / Hollsteinische und Harz Gräflliche Lande würcklich/ sondern auch von Rechts und alter Verfassung wegen noch weiter auf die Königreiche Böhmen/ Pohlen/ alle Schlesische Fürstenthümer/ Lausitz/ Mähren / Preussen/ Friesland und Westphalen/ und dazu gehörige Reichs-Lande/ nemlich überall/ wo das Sächsische Recht in Observanz gewesen/ oder noch ist/ so ferne solche Länder des Röm. Reichs

B

Ge



Gerichtsbarkheit noch unterwürffig find/ oder nach der Eintheilung derer Creiße zu rechnen/ so erstreckt sich das Pfälzische Vicariat über den Ober- und Nieder-Rheinischen/ Westphälischen/ Fränckischen/ Schwäbischen/ Oesterreichischen/ Bäyerischen und Burgundischen/ das Sächsische aber über den Ober- und Nieder-Sächsischen.

## §. XV.

Neque vero Jus Vicariatus per hoc restrictum, & in angustias redactum intelligitur, quod juris Franconici, vel Saxonici usus hodie nonnullis in locis passim exolevit; cum utriusque juris in *A. B.* mentio fiat non per modum causæ, velut conditionis sine qua non, sed tantum demonstrative. Sic ergo, quamvis in Marchia Brandenburgica, item Ducatu Brunsvicensi & Luneburgensi Saxonicum jus ab usu recesserit, Vicariatus tamen Electoris Saxonici ibidem recte exercetur.

## §. XVI.

Sed jam distincte tradendum erit, quousque potestas Vicariorum se extendat. Constat vero ex iis, quæ ab initio de Majestate temporaria edisseruimus, facile, hanc cum potestate Imperatoris eandem esse, nisi quatenus eam per Leges Imperii fundamentales limitatam esse appareat. Nullam vero aliam restrictionem deprehendere licet, quam eam solam, quæ in ipsa *A. B. c. V.* quoad investituram certorum feudorum & alienationes rerum Imperialium habetur. In reliquis ergo juribus omnibus Interreges nostri pari potestate cum ipso Cæsare per omnia fruuntur. Sed in præsentia de illis solum juribus differere animus est, quæ ipsa *A. B. c. l.* expresse commemorat.

## §. XVII.



§. XVII.

Primo loco exprimit Illa *Potestatem judicii exercendi*, quam inter eas, quæ Majestatem constituunt, partes haud postremam esse constat, *Ziegler. d. Jur. Maj. L. 1. c. 29. §. 13. Strauch. Dissert. ad Inst. Just. 20. n. 10.* Sunt vero in Imperio Romano Germanico duo summa Tribunalia, quæ omnibus Imperii Statibus ac subditis jus reddunt, *Camera Imperialis & Judicium Caesaris Aulicum*; Eorumque jurisdictionem concurrentem esse, in vulgus notum. Quod igitur ad *Cameram Imperialem* attinet, illa tempore Interregni autoritate Vicaria jus reddit. Expeditio Processuum communi utriusque Vicarii nomine, & sub sigillo Vicariatus fit. Neque enim sigilla Saxonis & Palatini distincte adhibentur, sed Vicarii inter se convenire solent de communi sigillo, quo Camera Utriusque nomine tempore Interregni uti debeat. Quod ita post obitum Rudolphi II. nec non Matthiæ, Imperatorum, observatum fuisse, constat. De quo testatur ipsa Refutatio Palatina deductioni Bavaricæ ulteriori opposita, sub Titulo: *Chur-Pfälzische Abfertigung der Chur-Bayerischen fernern Anzeige/ in verbis: Hat man sich absonderlich verglichen/ daß beyder Reichs-Vicarien Chur-Insignien dem Cammer-Gerichts-Innsiegel einverleibet werden solten.* Quo facit etiam instructio Friderici Electoris Palatini, quam An. 1619. Legatis suis ad Electorem Saxonie missis, dedit, in qua, referente *Londorpio Tom. 3. Act. publ. L. 2. c. 90. p. 575.* cum alia, tum hæc habentur: *Daß sich beyde Churfürsten nach Absterben Käyser Rudolphi, eines gemeinen Innsiegels zur Justiz-Sachen am Käyserl. Cammer-Gericht zu gebrauchen/ miteinander verglichen, dasselbe Chur-Mäynß fürters besagten Cammer-Gericht zugeschicket;*



Es seye aber bewust, welcher massen die Camerales, ob sie wohl damahls die Gerichtl. und andere Process in beyder Herren Vicarien Nahmen ausgefertigt/ dieselbe hernacher haben liegen lassen/ also/ daß die Partheyen/ denen am Fortgang ihrer Sachen gelegen/ an dieselbe wiederum haben rescribiren lassen müssen/ dadurch in Effectu denen H. H. Vicariis die Administratio justitiæ, wider den klaren Buchstaben der Büddenen Bull, und so viel sonderlich Chur-Pfalk belanget/ wider die notorische observanz entzogen/ und durch die Camerales, so viel an ihnen/ diese hohe Gerechtigkeit mit höchsten Schimpff und præjudiz gleichsam cassiret/ und vernichtet worden. So wäre auch ziemliche Nachrichtung/ daß die Päßstische Camerales vor diesem unter sich selbst in eventum verglichen/ dergleichen sigill von den Vicariis nicht mehr anzunehmen/ vielweniger in dero Nahmen die Process auszu-gehen zu lassen/ welches ihnen ohne gemeiner Stände Vorwissen und Zulassen/ wider so klare Verfassung des Reichs/ keinesweges gebühren wolte. *Parem in modum post obitum Ferdinandi III. Imperatoris de communi Vicariatus sigillo convenit, ceu liquet ex Programme Vicariatus Ferdinandi Mariæ, Electoris Bavarix. Londorp. P. 8. cap. 6. 5.*

## §. XIIX.

Neque vero distinguitur, an reus sub Vicariatu Saxonico, an Palatino constitutus sit; Sed indistincte in omnibus causis utriusque Vicarii nomine Processus discernuntur. Equidem aliter opinatur, fieri oportere, *Limæus Tom. 1. Jur. Publ. L. 3. c. 12. n. 55. ubi sic philosophatur: Illud speciosius affirmari poterat, nisi experientia & usus contrarium nos edocerent, Palatinum atque Saxonem circa pro-*  
visio-



*visionem Camera ita demum concurrere, si generalia peragenda aut mixta, provincias utriusque Vicariatus assignatas, concernentia. In reliquis, si ex tractu Rheni & Suevo, & in iure Franconico causa ad Cameram dijudicanda, ab harum provinciarum incolis inter ipsos deferantur, nomine & sigillo Palatini tantum expedienda omnia. Idemque eodem respectu de Saxone habendum, si quando inter provinciales, ejusdem Vicariatus subjectos, Camera imploretur auxilium & cognitio. Denique si inter Palatino subjectos & Saxoni, ultro citroque ad Cameram devolvantur contentiones, regulam esse: Actorem rei forum & iudicium sortiri, hinc, si reus conventus Saxonico Vicariatus subjectis in terris larem foveat, Saxonis nomine expediendum iudicium, sin Palatino transcriptis in provinciis, nomine Palatini. Quemadmodum etiam alias rationis est, ut quibus in causis Aulicus Imperatoris Senatus vivo iudicat Imperatore, generaliter in illis utriusque Vicarii tempore interregni Aulicus succedat senatus sub distinctione premissa. Sed cum ipse Limnaeus ibi fateatur, usu & experientia suam opinionem refelli, non est, cur illi examinanda operam impendamus.*

## §. XIX.

*Alterum Imperii Tribunal Summum est iudicium Cesaris Aulicum. Quod, cum non æque, ut Camera Imperialis, a toto Imperio, sed a solo Imperatore dependeat, R. H. O. tit. 1. Schweder. Intr. ad Jus P. Part. Spec. Sect. 1. c. 12. §. 1. eo defuncto haudquaquam continuatur, sed extinguitur, Uffenb. d. Sen. Aul. c. ult. Et Acta obsignata sepountur in Aula Cæsarea usque eo, donec novus Imperator electus fuerit. vid. Gastel. in spec. Jur. Univ. d. supr. Jud. Aul. p. 127. Loco Senatus Aulici quisque Vicarius, durante Interregno, peculiare iudicium, quod Regimen*



*Vicariatus* audit, constituere solet; Hæc Regimina, cum in locum Judicii Aulici Cæsarei surrogati sint, concurrentem cum Camera jurisdictionem, æque ac Imperator, exercent, nisi quod vis Imperatoriæ jurisdictionis per universum Imperium pateat; Vicariorum contra jurisdictionis sese intra terras cuique Vicariatus subjectas contineat.

## §. XX.

Sed & illud planum atque expeditum est, contra sententias a *Regimine Vicariatus* latis Appellationis Remedio locum haudquaquam esse; non magis sane, quam a Judicio Aulico Cæsaris, ad ipsum Cæsarem, atque ab eodem ad eundem appellari potest. Non tamen dubitandum, *Supplicationis* Remedio, quod loco *Revisionis Cameralis* in Senatu aulico usitatum est, *vid. R. S. O. tit. 5. §. dasern sich nun x. gravatos per sententiam Regiminis uti posse.* Quo casu tamen super illius justitia & gravaminibus ipsum Vicarium cognoscere, palam est; ut *miller, Textorem. Jur. publ. Tit. 15. n. 125. p. m. 608.* adduci potuisse, ut existimaret, *Revisionem*, ut ipse vocat, a *Vicariatus* *Judicio permitti ad effectum, ut Imperator post causam denuo disceptet.* Illud magis dubium videri potest, utrum Judicia Vicariorum Aulica tantum *novas* causas recipere, an vero causas etiam *præteritas*, seu quæ jam, vivente adhuc Imperatore, in Senatu ejus Aulico agitatae fuerunt, ad se trahere possit? Quod posterius quamvis multi negent, rectius tamen affirmatur, cum hæc facultas Vicariis nullibi ademta sit; ejusque avocationis, rariora licet, non tamen prorsus nulla Exempla extent. *Mulz. P. 2. c. 26. n. 100. p. 794. Gasteel, spec. c. 10. n. 21. Thulemar. c. 22. n. 20.*

## §. XXI.



## §. XXI.

Pertinent vero ad cognitionem Vicariorum causæ omnes, sine discrimine, etiam *Criminales* ac *Feudales*; quæcunque demum ipsum Imperatorem Judicem agnoscunt. Nec vero distingvendum, an causæ concernant feuda alia, an ipsorum Principum feuda; cum Aurea Bulla ratione potestatis judiciariæ nullum inter ea discrimen constituat. Nec magis differentia inter sententias, interlocutoriæ illæ, an definitivæ sint, admittenda fuerit; cum & hanc Aurea Bulla ignoret. Faciunt nobiscum cum alii plures, tum sigillatim *Limn. Jur. P. L. 3. P. 12. num. 56. seqq.*

## §. XXII.

Inter dissentientes inprimis *Textor. Jur. Publ. Tit. 15. n. 144. seqq.* magno molimine id agit, ut Regalium feudorum causas cognitioni Vicariæ subtrahat. Cujus rationes, cum a nemine adhuc ex instituto examinatas esse meminerim, operæ pretium fuerit, easdem breviter expendisse. Urget primo, quod textus *A. B. c. 5. §. 1.* id, quod minus est, Imperatoriæ Majestati reservet, nempe *collationem Regalium feudorum*; quam constet, Vicariis esse præclusam; ut adeo id, quod majus est, nempe cognitio & decisio, de hujusmodi controversiis multo magis censeretur debere Imperatoriæ potestati reservata, nec Vicariis concessa; Cujus argumenti vim positam esse, contendit, in præsumta legis voluntate, quæ, dum a Regula collationis Feudorum Vicariis permissæ, excipit Feuda Regalia, videri debeat, non minus cognitionem ac decisionem de his feudis, quia alterutri parti penitus abjudicarentur, utpote rem longè majoris momenti, per consequentiam excepisse ab altera concessæ judiciariæ potestatis,



statis, cum quidem investitura & collatio tantum præjudicium alteri non afferat. At enim vero Investituram de feudis a cognitione causarum feudalium toto cœlo distare, constat; quocirca ab una ad alteram haudquam colligere licet, præsertim cum pactum fundamentale, quod Majestatis jura restringit, juxta rectæ interpretationis regulas, stricte accipi oporteat.

## §. XXIII.

Insequitur porro *Textor. c. l. Limnai objectionem de incongrua exceptione minus stringere, quia licet in terminis ac verbis formalibus feuda regalia a potestate Vicariorum judiciaria non excipiantur, sufficiat tamen, excipi per consequentiam, & argumentum a minori ad majus, quod in causis tanti momenti utique debeat valere.* Demus vero, cognitionem de feudis Regalibus majoris momenti esse, quam solam investituram; non tamen consequi inde, puto, a prohibita investitura de certis feudis ad restringendam potestatem judiciariam indefinite concessam validum argumentum duci posse. Et, nisi magnopere fallor, apud Logicos inauditum est, restrictionem unius Regulæ, silente Lege vel pacto, trahi ad aliam, toto genere a priori distinctam. Cum ergo per Auream Bullam Interregibus data sit potestas judicia exercendi indefinite ac sine ulla limitatione, facultati investiendi autem exceptio de feudis Regalibus adjecta, hæc sane ad judiciariam potestatem nullo modo extendi potest, neque sic velut a minori ad majus consecutio valet.

## §. XXIV.

Nulla etiam ratio *Textori* fuit, cur vellicaret instantiam *Limnai* a Paribus Curiaë desumptam; quibus facultas cognoscendi de causis inter dominum ac vasallum ad eosdem

eosdem



eosdem licet investitura haudquaquam pertineat, competere potest. Quam instantiam non satis accuratam esse, *Textor* existimat; quia Pares Curiae nominatim in jure feudali cognitionem habeant de causis feudorum inter dominum & vasallum, sed in genere tantum, non vero in causis Regalium feudorum, quae tantum ad Regem sive Imperatorem referantur. Enimvero haec vim illius instantiae haud infringunt, quae in hoc consistit, quod, negata investiendi facultate, non statim facultas cognoscendi de feudis negari possit; praesertim quando potestas judiciaria generalibus verbis, nulla limitatione adjecta, data est.

## §. XXV.

Pergit *Textor. c. l. n. 152.* Ergo non ita generaliter concipiendum est argumentum: Quicumque non habet jus investiendi de feudo, ille non habet jurisdictionem de feudo, quo sensu subsumta de Paribus Curiae instantia, infringit universalitatem majoris propositionis, quando certum est, subsumi posse: Pares curiae non habent jus investiendi de feudo. Cum tamen conclusio, quae hinc colligitur, videlicet; Ergo Pares Curiae non habent jurisdictionem de feudo, sit falsa, & sic cum minor vera sit, infero propositionis majoris falsitatem; sed potius ita formandum argumentum: Quicumque non habet jus investiendi de feudis Regalibus, ille nec habet jurisdictionem de feudis Regalibus; hic enim subsumtio de Paribus vera quidem est, sed non infringit vim propositionis majoris, quia conclusio, quae hinc colligitur: Ergo Pares curiae non habent jurisdictionem de feudis Regalibus, non est falsa. At enim parem utrinque rationem subesse liquet. Sicuti enim denegatio investiturae in genere, non statim cognitionem de feudis in genere excludit; ita etiam, negata investitura de certis feudis, puta Regalibus, non statim facultas cognoscendi de illis cessat



cessat. Id omne enim, quod de genere prædicatur, etiam de specie recte asseri, tralatitium habetur.

## §. XXVI.

Unde facile diluas ratiocinandi rationes, quas *Ille* in eundem sensum subjicit, cum ait: *Bene licebit ita argumentari: Quicumque non habet imperatoriam facultatem investiturae feudorum Regalium, is quoque non habet vicariam jurisdictionem de feudis Regalibus, quæ major propositio vera est, quod sicut a negatione investiturae Regalium feudorum imperatoriae, recte negaretur imperatoria jurisdictio de feudis hujusmodi, sic nulla sit ratio in Vicariis separandi potestatem investiturae Vicariam a jurisdictione feudorum Regalium Vicaria.* Possit forte huic argumento vis aliqua inesse, si modo id, quod velut certum assumitur, ad liquidum perduceretur, quod nos omnino falsum arbitramur; nempe a negatione investiturae Regalium feudorum Imperatoriae, Jurisdictionem quoque Imperatoriam de illis negari. Quod si enim vel maxime per Capitulationem aliamve Legem fundamentalem investitura de feudis Regalibus Imperatori forte adempta, aut certo modo restricta esset, non tamen prohibitio illa aut restrictio quoad investituram, ad potestatem quoque judiciariam continuo pertineret. Quocirca nihil impedit, quo minus in Vicariis potestas investiendi a potestate cognoscendi separetur. Quamvis enim præsumtio haud sit, ea jura, quæ in Imperatore conjunguntur, in Vicariis esse separata, atque distincta; fallit tamen hoc, si lex aliter expresse disponat; quod in A. B. factum esse, liquet; quæ potestatem judiciariam Vicariis indefinite quoad omnes causas ac feuda concedit; investiendi facultatem vero restringit & limitat; quæ proinde, quas causas segregavit ab investitura Vicario-  
rum,



rum, easdem voluntate præsumta a Vicariorum jurisdictione segregasse censerì haud potest; nec inconueniens est, quæ in persona Imperatoris juncta, in persona Vicarii diuelli & segregari.

§. XXVII.

Pergit deinde *Textor* ad alterum argumentum, quo non exiguum pondus sententiæ suæ accedere putat: quod nempe Carolus V. Imperator in *Ordin. Regim. d. An. 1521. §.* Ob auch Sachen fürsielen ꝛc. nominatim hasce causas Regalium feudorum sibi reservaverit; & sic Potestati Præsidis, ac totius Regiminis Imperialis subtraxerit; Unde colligit, non aliter de Vicariis Imperii censendum esse; præsertim si consideremus maximam autoritatem, quæ fuit *Regiminis Imperii* tempore *Maximiliani I. & Caroli V.* Imperatorum, tum quod in summi fastigii personis, puta Electoribus omnibus ac diversis Principibus & Statibus, deputatis, eorumve subdelegatis substiterit, tum quod negotia maximi momenti huic Regimini commissa fuerint. *Ordn. des Regiments d. an. 1500. tit. wie zwanzig Personen in das Regiment genommen sind/ § tit. wie alle Sachen bey dem König vor des Reichs Regiment gehandelt werden/ item Ordn. des Regiments d. an. 1521. §. und anfänglich ꝛc.* ubi inprimis notari mereatur, potuisse in momentosis causis Rempublicam valde concernentibus, Regimen ipsos Electores ac duodecim Principes, ut personaliter compareant, requirere, una deliberaturos, quæ in rem Imperii ac salutem ejus essent, *d. Ord. de An. 1500. tit.* Das Regiment mag die Sechs Churfürsten und die andern zwölf Fürsten/ *d. Ord. d. An. 1521. §.* würde sich auch begeben ꝛc. Hoc amplius constitutum esse, ait, ut singuli Electores per quadrantem anni interessent Regimini delibera-



tionum publicarum gratia *d. Ord. d. An. 1521. §. Zu Bestän-*  
*digkeit des Fürnehmens ꝛc.* Verum facilis ad hæc respon-  
 sio. Primo enim memoratus *Recessus* non loquitur de  
 Vicariis Imperii, Saxone & Palatino, sed de Caroli V.  
 Imperatoris Vicario; a quo ad illos, quorum potestas a  
 Lege fundamentali perpetua dependet, valide argui  
 haud potest: Deinde Carolus V. a potestate Vicarii sui  
 casum, ubi de feudis Principum definitiva sententia fe-  
 renda, verbis expressis excipit; quod perinde circa Im-  
 perii Vicarios factum haud est. Unde frustra exclamat  
*Textor: Quodsi hoc Regimen ex tantis personis constitutum,*  
*tam arduis causis publicis occupatum, tamen non potuit jurisdi-*  
*ctionem exercere in feudis Regalibus, definitive alterutri par-*  
*tium adjudicandis; quis negaverit, idem de Vicariorum juris-*  
*ditione dicendum?* Nam in mentem forte nemini venerit,  
 minus Augustum censere munus Interregum, quam illius  
 Regimenti Imperii; nec circa causas minus arduas illi  
 occupantur, quam hoc olim; ut magnopere eum falli  
 oporteat, qui hic velut a majori ad minus argumentari  
 cupiat. Nec est, cur *Textor* provocet ad *Ord. Cam. P. 2.*  
*tit. 7.* ubi soli Imperatori & Regi Romanorum in his cau-  
 sis jurisdictio reservata sit; Non enim sequitur: *Hoc vel*  
*illud reservatum est Imperatori aut Regi Romanorum; Ergo*  
*tempore Interregni a Vicariis expediri nequit; Cum hæc pro-*  
*positio non aliter vera sit, quam si invertatur hoc modo:*  
*Quicquid soli Imperatori aut Regi Romanorum reservatum est,*  
*illud vacante Imperio ab Interregibus exerceri potest; nisi Legis*  
*prohibitio expressa resistat.* Nec vero clarior expressio ab  
 Aurea Bulla expectari poterat, quam quod potestatem ju-  
 dicia exercendi, nulla addita limitatione, concessit.

§. XXVIII.



## §. XXVIII.

Instat *Textor* : Non obesse opinioni suæ, quod Carolus V. hoc expresse in Regimine Imperii, non vero Carolus IV. in Vicariis & eorum Jurisdictione, qua isthæc Caroli V. expressio videatur esse velut quædam interpretatio voluntatis Caroli IV. Nam, inquit, si Carolus V. censuisset, lege constitutum, ut ad Vicarios singulos in Interregno vel absentia Imperatoris causæ Regalium feudorum pertinerent, nulla fuisset ratio, cur non & toti Electorum Collegio, totque Principibus ac Statibus Regiminis Imperialis easdem committeret. Enimvero hæc parum cohærere putem. In ordinando enim Imperii Regimento integrum Imperatori ac Imperio erat, quibus limitibus potestatem Illius circumscribere vellent; quæ libertas circa Vicarios Imperii non æque competit; quibus jus antiquissimo Instituto quæsitum, ac postea Lege fundamentali corroboratum a nemine auferri, aut restringi potest.

## §. XXIX.

Deinde ad totam Antiquitatem provocat *Textor*, ex qua haud reperire liceat ullum præjudicium, quo de controversia feudi Regalis inter Principes Imperii apud Vicarios in Germania disceptatum, judicatumque fuerit; quæ res probabile argumentum præbeat, in eo controversiarum genere Jurisdictionem Vicariam, Lege non fundari. At enim eodem Jure petimus, afferri exemplum, ubi tempore Interregni controversia de feudo Regali inciderit, quæ ob defectum jurisdictionis Vicariæ, in tempus novi Imperatoris electi, rejecta fuerit. Qui ex non usu defectum Juris evincere cupit, eum probare oportet



tet, occasionem utendi fuisse oblatam, nec tamen alterum, volentem licet, ea uti potuisse.

§. XXX.

Sed convertamur ad ea, quibus *Textor* conficere studet, Vicariam in feudis Regalibus jurisdictionem in usum facile deduci haud posse. *Sane enim*, inquit, *in Judicio Vicariatus consuevo* hasce causas non disceptari, facile perspicere licet; *adsciscendi enim forent Principes Pares Curia*; *Atque adeo in hoc confessu & Parium autoritate, votisque rogatis, judicium tale ageretur, præsidente Vicario; sed quid si non comparerent, allegantes, nulla lege cautum, nec usu receptum, ut ad has causas Vicaria potestate convocentur. Quid si reus forum declinaret per Leges Friderici II. Caroli V. & Ferdinandi I. Imperatorum, quibus causa Regalium feudorum solius Imperatoris vel Regis Romani cognitioni ac decisioni personali reservantur, an nihilominus Vicaria jurisdictio & procedendi ratio sustineretur? Quod si tanti momenti controversias vix ab Imperatore ipso sine publico, si non motu, saltem metu armorum resolvi contingit, quid fieret apud Vicarios forte Interregno? Ergo ex his omnibus colligere licebit, Vicariis jurisdictionem concessam non esse in causis Regalium feudorum, neque usu id obtinuisse, nec facile ad usum perduci posse. Enimvero nobis satis est, Jus Interregibus, veteri instituto per Auream Bullam confirmato, asseruisse; quomodo Illi jure suo, eveniente casu atque occasione admota, usuri sint, parum solliciti sumus. Eadem certe media, quibus jura sua tuentur Imperatores, Serenissimis Vicariis in promptu erunt; nec propter executionis difficultatem jus ipsum in dubium vocari potest.*

§. XXXI.

Ad ultimum contendit *Textor*, suæ opinioni haud quaquam



quam obstare, quod Lege Carolinæ Bullæ potestas exercendi judicia Imperii generaliter sit Vicariis concessa, quia jurisdictio Regalium feudorum, præterquam quod sit de Reservatis, sub generali dispositione Vicariis concessa, intelligi non debeat, arg. *L. ult. §. 1. C. ubi Sen. vel Clariss.* & minus congrue adversus specialiores rationes urgeatur ex adverso sola fere generalitas regulæ de Vicaria potestate circa judicia, cum constet, in ejusmodi momentosis causis generalem concessionem non sufficere. Hæc vero omnia, ni fallor, in petitionem principii resolvuntur; & inane præsidium est, quod petitur ex *L. ult. §. 1. C. ubi Sen. vel Clariss.* Nihil enim ibi aliud, quam hoc traditur, quod in Criminalibus Viri illustres coram Principe solo, vel ab ejus delegato cognitore conveniri possint; & quod penes cognitorem tantum potestas absolvendi, non vero condemnandi, inconsulto Principe, esse debeat; *Brunnem. ad c. l. n. 1. seq.* Quid, quæso, hinc contra Vicarios Imperii evincas? Quod si quis sibi in Legibus publicis interpretandis tantopere Jure Civili placeat, jam vero Lex illa modo *cit. ult.* nostram opinionem haud obscure adjuvat. Nam ibi cognitori a Principe delegato non simpliciter ac indefinite potestas cognoscendi de Causis Criminalibus Personarum Illustrium conceditur, sed restringitur illa ad absolvendi facultatem, jure condemnandi in scio Principe expresse adempto. Cum ex adverso A. B. potestati judicariæ Vicariorum Imperii nullum modum statuatur, nec certos limites, intra quos se continere debeat, præscribat. Ex qua desumpta Regula generalis pro Vicariorum Imperii potestate Judicaria, quam parum per rationes specialiores a *Textore* adductas debilitata sit, ex iis, quæ hætenus dicta sunt, facile judicari potest.

§. XXXII.



## §. XXXII.

Hactenus de potestate Vicariorum in alios exercenda. Quid vero, si ipsi Vicarii conveniendi sint, ubi iudicium sortientur? Videndum, an de illis tanquam Vicariis sermo sit, & perinde est, ac si quæstio de foro ipsius Imperatoris formetur, an vero tanquam Electores aut Principes conveniantur, & tunc coram Austregis vel Camera imperiali pro diversitate causarum lis agitari potest. Neque enim insolens est, ut sibi ipsi quis sub diversa qualitate imperet, seque prohibeat. Quæ ratione Imperatores, tanquam Duces Austriæ, coram Camera lite pulsatos fuisse, & sibi ipsis his verbis: *Wir Carl/ ic. Römischer Kayser/ entbiethen dir Carl/ Erzherzogen von Oesterreich ic. imperitasse constat, Buxtorf. ad A. B. c. 5. O. 64.*

## §. XXXIII.

Alterum jus in A. B. expressum est *Presentatio ad beneficia Ecclesiastica*; quæ utrum vi *Juris Primariarum Precum*, an vi *Juris Patronatus* competat, non convenit inter Interpretes. Prius plerique asserunt, *Sprenger, in Perpicill. p. 141.* Sed & posterius aliqui. *Schweder. Intr. ad Jus P. Part. Spec. S. l. c. 33. §. 7. Limn. ad A. B. tit. 5. §. 1. Obs. II.* Ubi tamen initio animadvertere licet, plerosque non satis distincte atque perspicue explicare, quid in persona Imperatoris inter Jus Primariarum Precum, & jus Patronatus discriminis intercedat. Quod ut ad liquidum perducatur, observandum est, Jus Primariarum precum, vi cujus Imperatores facultatem habent nominandi unius Canonici, in omnibus per universam Germaniam Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis, *Matth. Stephan. d. jurisd. M. Freber. ad P. de Andlo d. Rom. Imp. p. 179.* Iisdem in  
pro-



provinciis illis, in quibus jus religionis habent, *jure summi Imperii* competere *Stamler. de Reservat. Imp. §. 51. B. Ziegler. d. Jur. Maj. L. 1. c. 18. §. 4.* Estque adeo residuum pristinae illius Constitutionis Personarum sacrarum, quam Principes olim suo jure exercuerunt. *Per-Illustr. Lib. Bar. a Lyncker. ad Schweder. Intr. Jur. Publ. P. S. c. 5. §. 15. Verb. Ex civilitate magis.* Quo jure quomodo uti debeat Imperator in terris Reformatæ & mixtæ religionis, cautum in *Instr. Pac. art. 5. §. 5. vers. ubi sacra verb. Jus Primariarum.* *Jus Patronatus* vero in specie sic dictum a dotatione Ecclesiarum, item præscriptione similive causa pendet; vi cujus Patroni personarum Ecclesiasticarum electionem ex ipsius juris Pontificii principiis sibi vindicant. Quale *Jus Patronatus* sibi Imperatores tribuere queunt, ob profusam & immensam liberalitatem, qua Imperatores olim Ecclesiarum opes atque potentiam maximo cum damno Imperii auxerunt. *Ziegler. c. l.* Quamvis penes Imperatores multo ante istam liberalitatem *Jus eligendi* fuisse, constet. *Grot. d. Imp. summ. pot. circ. sacra c. 10. n. 14. seqq.* Ceterum vi juris *Patronatus* in specie sic dicti, Imperatori competit hinc inde collatio præbendarum & beneficiorum Ecclesiasticorum. Cujus generis præbendas Imperator & Rex Romanorum habent, v. g. Aquisgrani, Coloniae Agrippinae & Bambergæ. vid. *Schilter. Inst. Jur. Publ. L. 1. tit. 18. §. 3.* Quod *Jus Patronatus*, in specie acceptum, confundi haud debet cum *Jure Patronatus* communi ac universali Imperatoris, respectu Ecclesiarum per Imperium.

§. XXXIV.

Quocirca mirari licet, quod *Textor c. l.* nullum aliud in Imperatore agnoscat *Jus Patronatus*, præter universale

D

fale



sale illud, quod modo dixi, & speciale ad Ecclesiam Romanam juxta *Art. 1. Capit. Cas.* restringat. Ita enim Ille: *Uterque, Limnæus scil. & Mulzius, in hoc errat, quod putent, in Vicarios Jus primariarum precum non cadere, quamvis ex Aurea Bulla iis conveniat presentatio ad beneficia Ecclesiastica; Nam Imperatori non competit alia ex jure Patronatus Ecclesiarum presentatio ad beneficia, alia per preces primarias, sed est hæc una & eadem, quæ ex veteri jure concessionis dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum Imperatori, Ecclesiarum communi Patrono, est relicta; consuetudine exercita per literas precum primariarum, & per indulta Pontificum subsequente tempore approbata. Quod hoc ita sese habeat, exemplis Casarearum concessionum in beneficiis Ecclesiasticis est manifestum; nec enim in hoc genere alia species impetrata imperialis gratie usu demonstrari potest, nisi quæ obtigerit per literas precum. Certe ipsimet Imperatores in Rescriptis gratiosis ad beneficia Ecclesiastica duplex fundamentum exprimere solent juris hujus competentis, sc. consuetudinem & indulta Pontificum, gratia tamen Casareæ presentationis non ideo duplex proprie & in effectu est, quia aliam & aliam causam habet, itaque si quis tertium principium adjecerit, nempe communem Ecclesiarum Patronatum, non alia subnascetur presentatio, sicut patria potestas non ideo triplex est, quia vel per justas nuptias, vel per adoptionem, vel per legitimationem acquiritur; jam quia Imperatoria representatio ad beneficia Ecclesiastica ex deductis hæc una & sola est, quæ per literas primariarum precum exercetur, necesse est, ut non alia Vicariis ex Lege deferatur in Interregno, & per consequens exercitium primariarum precum iisdem ex Aurea Bulla recte asseritur, cum duplex presentatio Imperatoria ex jure precum & Patronatus nulla Lege fundetur. Atqui exempla a Schiltero l. c. allata liquido ostendunt,*

præ-



præter Jus Primariarum Precum, quod in singulis Ecclesiis nonnisi semel exercetur, competere Imperatori jus certis in locis beneficia quædam Ecclesiastica perpetuo, & quoties illa vacant, conferendi. Quod jus Patronatus ab illo precum primariarum Jure haud paulo diversum est.

§. XXXV.

Jam vero, si quæras: *An per presentationem ad beneficia Ecclesiastica intelligi debeat jus primariarum precum, an jus Patronatus speciale?* Omnem illam quæstionem inanem esse, & penitus effectu destitui, meo quidem judicio putem; Sive enim Jus Primariarum Precum intelligas, nihil impedimento erit, quo minus Vicarii Imperii memoratum Jus Patronatus speciale exerceant; quippe quod ad exemplum aliorum jurium, expressione juris primariarum precum haudquaquam ademptum censi potest, sive hoc ipsum jus Patronatus a Bulla innui, tibi persuadeas, propterea non minus jus primariarum precum nullibi interdictum iisdem competet. Exemplum exerciti juris hujus ex novissimo Vicariatu Saxonico repetere licet; ubi Divus Jo. Georg. II. Elector, primarias preces ad Capitulum Magdeburgense Viro cuidam indulgit, qui & earum virtute in numerum Canonorum receptus fuit, *Möldner. Posit. Inaug. d. jur. prim. prec. pos. 4. §. 5.*

§. XXXVI.

Alia in hoc argumento Philosophia est *Limnai ad A. B. c. 5. §. 1. Obs. II.* Ubi putat, Jus primariarum precum, sive ex concessione Pontificis, sive jure proprio competit Imperatori, cum ejus morte extingui. *Si enim, inquit, habet a Pontifice illud, dum vivit, exercere potest, aut per*



se, aut per alium, quatenus concessio id permittit; Si habet jure & approbata consuetudine, coronationis suæ solennis ad Romanorum Regnum impletione, itidem persona coronata moriente extinguitur. Add. Dan. Otto Diss. d. Jur. Publ. Imp. Rom. tit. d. Vicar. ibique Limneus. Atenim vero sicut anile commentum est, originem juris primariarum precum ad auctoritatem Pontificis Romani referri, neque confessio Imperatorum, quando in Diplomatis suis forte Pontificis mentionem faciunt, Imperio ejusque juri- bus præjudicare potest; Lib. Baro a Lyncker ad Schweder. Part. Spec. Sect. 1. c. 5. §. 15. ita falsum & illud, Jus primariarum precum a coronatione pendere, nec citra illam competere; quod etiam vult Hippol. a Lapide Tr. d. Rat. Stat. P. 1. c. 16. cum de eo nihil ulla Imperii Lege cautum sit; Igitur Vicarii hoc sibi jus eodem modo, quo Imperator illo usus est, vel uti potuit, recte vindicant. Add. Caroli IV. Rescr. d. Prim. prec. ap. Goldast. T. I. Const. Imp. p. 343.

## §. XXXVII.

Nec melior ratio est, qua nititur Schweder. Sect. 1. c. 5. §. 16. ubi juri primariarum precum tempore Interregni locum esse, propterea negat; quod hoc jus semel tantum exerceatur, adeoque Vicariis competere non possit. Nam semel quidem ab Imperatore exercetur, sed & semel illud a Vicariis exerceri potest; quippe quorum Regimen a Regimine Imperatoris defuncti plane diversum distinctumque est. Add. Dn. Titius Specim. Jur. Publ. Cap. IX. §. 18. & qui eum sequitur, Dn. Zschackwitz Einleitung zu dem teutschen Jure publico L. 2. c. 6. q. 8.

## §. XXXVIII.

Neque vero interest, cui Religioni addictus sit Vicarius, an eidem cum Collegio Canoniorum, in quo jus pri-



primariarum precum exercere vult, an diversæ. Quocirca siue Pontificiorum sacra colat, in terris Evangelicorum, siue Protestantium Religioni addictus, in terris Catholicorum, quæ suo Vicariatus subsunt, ad prima beneficia Ecclesiastica præsentare potest; prorsus eodem modo, quo de Imperatore, cujus vicem gerit, cautum est in *Instr. Pac. art. 5. §. 18.* ut nempe præsentandus ejusdem Religionis sit, quam amplectitur Collegium illud, in quod recipiendus venit, vel cujus is fuit, cui succedit. Quo eodem argumento confirmatur, quod supra diximus, juris primariarum precum fundamenta non ex concessione Pontificia, sed jure Majestatis Cæsareæ, & consuetudine repetenda esse.

§. XXXIX.

Succedit in A. B. *Potestas colligendi Reditus ac Proventus*, das Recht des Reichs Renthen und Einkommen einbringen zu lassen; Quos a Vicariis non in proprios, sed Imperii usus impendi debere, res ipsa monet. vid. *Arumæus Disc. 3. tb. 36. Rumel. ad A. B. c. 5. §. 1. O. 12. & Jur. P. L. 3. c. 12. num. 68. Hermes fasc. Jur. Publ. c. 20. qu. 11. Schweder. Intr. ad Jus Publ. S. 1. c. 33. §. 7.* Complectitur ergo hoc jus facultatem omnes collectas, & onera realia, personalia & mixta, nec non omnes census, redditus, jura, proventus, emolumenta, oblationes, conductus, telonia & pedagia Principatum & Dominiorum, Monasteriorum, Civitatum, Terrarum, Territoriorum, Districtuum, Oppidorum, Castrorum, Villarum & Locorum, ad Imperatorem ratione Imperii de Jure, consuetudine, aut alias pertinentia, exigendi & recipiendi, & ad usus suos pro defensione Imperii applicandi, pœnas & mulctas imponendi & exigendi &c. prout hæc disertis verbis exprimuntur in *Constit.*



*stit. Vicariat. Ludov. Palatin. vid. Buxtorff. ad A. B. cap. 5. tb. 66.*  
 Unde liquet, reditus ac proventus Imperii hodie non quidem tantos amplius esse, ac olim fuerunt, de quibus vid. *Textor Jur. Publ. tit. X.* Non tamen adeo exiles & contemnendos, ut ratio fuerit *Arumæo*, cur eos *d. l. tb. 36. in fin. pene nullos* diceret, nec nisi Collectarum Imperii, consensu Statuum decretarum, mentionem faceret. Inprimis vero huc Contributionis Urbium Imperialium ordinariae, ut & mulctæ in summis Imperii Tribunalibus decretæ, referri merentur. *Add. Cap. Leop. art. 29.* In eundem censum veniunt compendia ex confiscationibus redacta, & reditus, qui ex feudis Imperio, sive morte, sive ex capite Feloniæ apertis, proveniunt. Hæc enim omnia, sicut, vivo Cæsare, ejusdem Fisco cedunt, ita tempore Interregni, curæ Vicariorum subsunt. Quæ residua sunt, electo novo Imperatori restituntur, deductis impensis pro imperio factis. *Buxtorff. c. l. Textor c. l.*

## §. XL.

Præterea Aurea Bulla Vicariis concedit *Potestatem investendi de Feudis.* Quæ quidem primo intuitu otiosa ac inutilis videri poterat cogitanti, annum ad petendam investituram vasallis competere. vid. *C. 1. §. Præterea de probib. feud. alien. j. Ord. Regim. d. An. 1521. §. Und behalten unß bevor ꝛc.* cum tamen juxta ipsius Aureæ Bullæ præscriptum vix evenire queat, ut Imperium per annum vacet. Quod enim illi vasalli, qui jam antea ab Imperatore investituram acceperunt, ejus renovationem tempore Interregni a Vicariis, velut ob mutatam Domini directi personam, petere teneantur, nemini, puto, in mentem venit. *Schweder. Intr. ad Jus Publ. Part. spec. Sect. 1. c. 33. §. 7.* Enimvero præterquam, quod multa intervenire queant im-

im-



impedimenta, ob quæ tempus Interregni ultra spatium annale extendatur, intelligendum est, fieri sæpenumero posse, ut vasalli novus successor nondum ab Imperatore Investituram acceperit, atque adeo facile ipsi annus tempore Vicariatus exire possit; quo casu necessario a Vicariis Investitura, vel dilatio petenda venit. *Limn. ad A. B. c. 5. §. 1. O. 18. seqq. Dn. Titius Spec. Jur. publ. L. 5. c. 9. §. 21.*

§. XLI.

Quid vero, si de Vicariatu inter aliquos lis sit, a quo Renovatio Investituræ petenda erit? Hic respiciendum puto, uter eorum in possessione vel quasi constitutus sit, ut eum adiisse sufficiat. *Rosenthal. d. Feud. c. 6. §. 2. n. 3. seqq.* Sed & illud consultum videtur, protestatione sibi prospicere vasallos, quod recognoscere velint eum, qui potius jus habere deprehendatur. *Buxtorff. ad A. B. tb. 67.* Cum enim sic nullus vel dolus vel culpa vasallo imputari possit, nec pœnæ propter neglectam renovationem Investituræ locus erit.

§. XLII.

Literas patentes, quibus uterque, Bavarus & Palatinus, inter quos notissima de Vicariatu lis est, Vasallos de petenda investitura tempore Interregni post Ferdinandi III. mortem admonuit, vid. *in Diar. Europ. P. 1. p. 668. & 748.* Ceterum illi, quibus tempore Interregni annus haudquam elapsurus est, petitione investituræ facile supersedebunt, ne duplices impensas facere cogantur; cum renovationem Investituræ ab electo Imperatore novo denuo impetrare debeant. *Limn. ad A. B. c. 5. §. 1. Obs. 13.*

§. XLIII.

Sed quænam sint feuda illa, quorum Investitura a Vicariis intra annum sub pœna amissionis peti debeat, ple-



plerisque dubium videtur. Equidem omnia Nobilium immediate Imperio subjectorum Feuda, quæ ab Imperatore & imperio recognoscuntur, die *Lehen der Reichs-Ritterschafft*/ collationi Vicariorum subesse, nemo ambigit; sed de feudis Baronum & Comitum Imperii, nec non feudis Regalibus Principum Ecclesiasticorum res controversa est, maximusque scriptorum Juris Publici dissensus. Cum enim in Bulla Carolina potestas investimenti de feudis Vicariis concessa, subjicitur deinde hæc limitatio: *Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ Fahn-Lehn vulgariter appellantur; quorum Investituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reservamus.* Circa quæ verba primo illud dubium, an Feuda Ecclesiastica Majora a Collatione Vicariorum excepta sint? Qui negant, hoc inprimis argumento nituntur, quod A. B. loquatur tantum de ejusmodi feudis Principum, quæ adhibita vexilli solennitate olim conferebantur; Feuda autem Ecclesiastica majora nunquam per vexillum, sed primo per baculum & annulum, deinde vero per sceptrum collata, indeque vulgo *Scepter-Lehn* appellata sint. Quamvis enim hodie in feudis omnibus, sive Ecclesiastica sint, sive secularia, eodem fere modo, nempe per gladium, investitura fiat; nisi quod in Mauritio Electore Saxone, vexillum adhibitum esse, constat, *Per-Illustr. Lib. Baro a Lyncker ad A. B. c. l. p. m. 44.* dubitandum tamen haud est, illa vexillorum feuda, de quibus Aurea Bulla loquitur, hodiernum a Vicaria Collatione exempta esse. Speciatim *Buxtorfius ad A. B. tb. 69.* pro investitura Vicaria feudorum Regalium Ecclesiasticorum rationis loco adducit, vulgatum illud rectæ interpretationis principium, quod exceptio in casibus non exceptis regulam confirmet;

met;



met; hic autem excepta tantum sint feuda cum vexillis investiri solita; quæ exceptio proinde firmet regulam, quæ est: Quod Vicarii de feudis investire possint, in omnibus casibus non exceptis, & sic etiam in feudis sceptri. Idque tanto fortius procedere, ait, quod exceptioni addita sit dictio taxativa, *duntaxat*. Provocat deinde ad *Imp. Carolum V. in Ord. Regim. d. A. 1521. §. Und behalten unß bevor* &c. ubi a potestate Vicarii sui tantum exceperit feuda, die sie unter den Fahnen pflegen zu empfangen.

## §. XLIV.

Exadverso illi, qui feuda majora Ecclesiastica perinde, ac secularia, sub verbis Aureæ Bullæ citatis comprehendendi putant; sententiæ suæ rationes ita colligunt. Primum ejus fundamentum collocant in ipso textu *Aureæ Bullæ d. §. 1. cujus verba ita concepta leguntur: Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ vulgo Fahnen-Lehn appellantur*. Unde appareat, feuda Principum quæ talium universa excipi a Vicaria collatione, cum generaliter excipiantur; sicut vero omne, quod sub complexu verborum regulæ est, & exceptionis ratione destituitur, ad regulam pertinet, ita omne, quod sub verbis exceptionis comprehendendi potest, ad exceptionem referri debere, arg. *L. Cajus 86. pr. ff. d. legat. 2. L. Patronus. 35. §. 1. & L. Heres. 100. §. 2. ff. d. legat. 3.* Secundum fundamentum petitur ex diplomate Rupertino, quo Romanorum Rex Rupertus in Italiam abiturus, concessit Vicariatum filio Ludovico, & inter alia collationem feudorum Imperii, vid. *Freber. ad P. de Andlo L. 2. c. 10. p. 193.* sed excipit tamen Rupertus majora feuda atque insigniora hisce verbis: *exceptis duntaxat feudis insignis (ita scribebant tunc) Archiepiscoporum, Ducum, & Marchionum, & quæ cum vexillis seu gladiis recipi consueverunt, & de quibus Imperialis curia de more servatur. Ubi expressa fiat Archiepiscoporum mentio, & sic constet, non*



sola secularia vexillorum feuda, sed Ecclesiastica quoque, Principibus per sceptrum conferri sive, excipi a Vicaria investitura. Verum hinc emergere novum scrupulum, quod Episcoporum commemoratio plane sit omissa, adeoque diploma Rupertinum non probet, præclusam Vicariis esse investituram de Episcopatibus & aliis feudis Ecclesiasticis majoribus, ut sunt Abbatia Principalis juris, imo potius contrarium hinc colligi, quod Rupertus hoc ita expresserit per particulam exclusivam *duntaxat*; & consequenter præter nominata, cetera feuda omnia incluserit Vicariæ Collationi. Sed uti sæpius accidit, Leges posteriores referri ad priores, atque ex illis interpretationem accipere, *L. non est novum. 26. ff. de LL.* sic non immerito, dicendum, quod verbis deest Rupertini diplomatis, supplendum ex Bulla Caroli IV. esse, in qua verba supra allegata generalia, *feudis Principum duntaxat* exceptis, non minus Episcoporum & Abbatum, qui sub Principibus comprehenduntur, quam Archiepiscoporum feuda secludant a Vicaria collatione. Et, si omnino stricte acciperemus diploma Rupertinum, nec sub eminentiori Archiepiscoporum nomine Principes Ecclesiasticos alios virtualiter includi admitteremus, ex eo tamen argumentum generale sumi non posse pro Vicaria Episcopatum Ecclesiasticorum investitura, quia Rupertini diploma non sit Lex perpetua, ut Aurea Bulla Caroli IV.; sed tantum exemplum concessi Vicariatus a Rege Romano, quod licet pro declaratione Bullæ Carolinæ, non tamen ad abrogationem ejus vel derogationem allegari possit, unde hodiernum Episcopatus, ceterosque Principatus Ecclesiasticos, virtute generalis exceptionis dictæ Bullæ, a Vicaria investitura censerentur debere exemptos, tanto magis, quod eadem hodie investiendi ratio per enses communis sit, & surrogata investituris sive per sceptrum, sive per vexilla. Malui hæc

hæc



hæc ipsis *Textoris l. c.* quam meis, verbis efferre. Satis enim mihi est, utriusque sententiæ momenta, quæ ultro citroque militant, attulisse. Judicium meum nunc quidem suspendo. §. XLV.

Circa *Comitum ac Baronum Imperii Feuda* minor difficultas occurrit. Cum enim *Bulla Carolina* in genere illa feuda, quæ per vexillum conferuntur, a Vicariorum investitura excipiat; hoc solum indagandum restat, an *Comites ac Barones* tempore *Caroli IV.* hoc modo investituram acceperint. Quod asserit *Buxtorf. ad A. B. tb. 68. ibique citati Dd. plures.* Fundamenta, quibus nituntur, ex duobus *Juris Germanici* textibus repetunt; quorum alter in *Spec. Saxon. III. art. 53. n. 3.* alter in *Spec. Suvv. II. c. 136.* extat. Utriusque sensus eo redit, quod *Comitatus*, qui ad *Feudum Vexillorum* pertinent, mediante vexillo recognosci debeant. Unde hoc quidem sequitur, quod *Comitatus*, qui ad *Feuda Principum* pertinuerunt, eorumque partem constituerunt, eodem cum illis modo, scil. per vexillum, collati fuerint; perinde ut vulgo accessorium principale suum sequi dicitur. Sed quod *Comites* respectu *Comitatum* seorsim, mediante *Vexillo*, investituram acceperint, ex illis textibus nemo confecerit. Sed tamen illis temporibus præter *Principum Feuda*, alia quædam fuisse, per vexillum recognosci solita, inficiari nolim; idque non obscure evincit *c. 144. l. 2. Jur. Alem. Verb. Alle die Fahn-Lehn haben/das nicht Fürsten-Amt sind/ das sollen sie vom Pfalz-Grafen empfangen.* Quæ autem feuda illa fuerint; an *Comitatus*; & an *Comitatus* omnes, aut quidam tantum, nec ibi exprimitur, nec aliunde probari potest. Inde consequi manifeste puto, omnia *Comitum feuda* ex dispositione *A. B.* a *Vicariis* recognoscenda esse; nisi eorum aliquis liquido ostendat, *Comitatum* suum olim, æque, ac



Principum feuda, per vexillum conferri solitum fuisse. Nec vero Comites Baronesque ægre tulerint, non eodem hic ipsos, quo Principes Imperii, jure uti. Facile enim, spero, patientur, ipsos infra Principum conditionem censerit; cum eorum feuda ne hodie quidem sint *Crohn-Lehen*/ sed coram Senatu Concilii Imperialis Aulici recognoscantur, *Lib. Bar. a Lyncker. ad A. B. c. 5.* Plane Principatus novos post conditam A. B. in illud fastigium euectos, nec non Comitatus Principatibus exæquatos & pares, *Gefürstete Graffschafften*/ in hunc censum haud venire, sed a Vicaria Collatione exemptos esse, nulus ambigo.

## §. XLVI.

Sed excutiamus nunc rationum momenta, quibus præter alios, vid. *Rumelin. ad A. B. Diff. IV. tb. 19.* Comites sub Exceptione Vicariæ Investituræ contineri, probare nititur *Textor. d. Vicar. Imp. n. 220. seqq.* Ita vero Ille: *Ex aduerso considerari potest primo ipsius Aureæ Bullæ textus, qui non sola feuda Principatuum excipit a Vicariorum investitura, sed feuda vexillorum etiam. Cum enim regulæ Vicariæ investituræ subiecisset generalem exceptionem in feudis Principum, mox addit verba: Et illis, quæ vulgo Sahn-Lehn, appellantur; (pariter scil. exceptis.) Unde satis clare sequitur, valuisse tunc temporis Investituram per vexillum, etiam extra Feuda Principatuum; alias si cuncta Feuda Vexillorum fuissent Principatus, superflua prorsus adjectio de feudis Vexillorum fuisset; at superfluitas ejusmodi non præsumenda, sed vitanda est, tum in aliis, tum maxime in Legibus. Quæ quidem omnia ejusmodi sunt, ut nobis cum Textore plane conveniat. Sed & illud, quod ex his infert & colligit, cum ait: Posito autem, præter Principatus, alia fuisse feuda, quæ etate Caroli IV. conferebantur per Vexilla, hæc certe vix alia, quam Comitatum esse potuerunt, quod infra Principatus non alia insigniora dentur; non dico ex hoc textu pervinci, omnia Comitatum Imperii Feuda collata esse tempore Caroli IV. per vexillum, sed aliqua, ac dubio procul potiora Comitatum fuisse, ex deductis recte col-*  
ligi,



*ligi, negari vix potest*; a nobis concedi potest; neque tamen inde conficitur, quod *Textor* vult, omnes Comitatus, quorum Comitatus sunt Feuda Imperii, ad Vicariam investituram haud pertinere. Quin potius hinc manifeste, puto, consequitur, exceptis Principum feudis, nulla alia huc referri posse, quam de quibus probari queat, quod in illis ætate Caroli IV. Investitura per Vexillum locum habuerit; quod saltem de omnibus Imperii Comitatus afferri haud posse, ipse *Textor* largitur.

## §. XLVII.

In sequentibus provocat *Textor* ad Leges post Bullam Carolinam latis, quibus indistincte omnes Comitatus Imperii feudales cognitioni Imperatoriæ reservati sint; quo facit sigillatim *Ordinatio Regim. d. An. 1521. §. Ob auch Sachen vorkielen*. Atenim vero liquet primo, Serenissimorum Interregum potestatem non ex Ordinatione illa, sed instituto veteri, & Aureæ Bullæ dispositione metiendam esse; deinde a negata cognitione judiciaria, non statim ad facultatem investiendi æque negandam, firmum argumentum duci potest, cum sint diversi generis, distinctaque omnino jura. Nec magis ad rem pertinent verba ex *Ord. Cam. P. 2. tit. 7. a Textore* excitata; quibus cognitio de feudis Comitatum Imperii alterutri litigantium parti adjudicandis, soli Imperatori tribuitur. Tantum enim abest, ut hinc quicquam contra Vicariorum potestatem exsculpi possit, ut potius inferendum sit, eandem cognitionem judiciariam, quia Imperatoris fuerit, & Vicariæ potestati nulla Legge subtracta, una cum investitura ab Interregibus recte exerceri. Nec majoris ponderis est ratio, quod Comes Imperii non minus, quam Dux vel Marchio, qui Principes sunt, inter Capitaneos regni referatur, jure communi feudali *i. F. 1. pr.* nec aliam eo jure investituram habeat. Sola enim qua-



qualitas Capitanei non efficit, ut illi, qui hoc nomine veniunt, iisdem per omnia juribus censerentur; nec modus investiendi Status Imperii ex jure Feudali Longobardorum, sed Jure & consuetudine Imperii aestimari debet; juxta quam diversa Principes & Comites Imperii investiendi ratio, in confesso est. Inane vero & illud, quod Comites, quorum Comitatus feuda sunt Imperatoris & Imperii, Collegio Principum interfint. Ipse enim *Textor. c. l.* hujus argumenti infirmitatem agnoscit, quando *inaequali juris Comitialis participatione* id fieri, adjicit. Ceterum ex eo, quod Comites Imperii a Vicaria investitura haudquam exemptos esse evicimus, sua sponte consequitur, multo magis hoc de Baronibus Imperii asserendum esse; de quorum feudis, quod per vexillum unquam collata fuerint, nullum vestigium in monumentis historiarum extat.

## §. XLVIII.

Caveant igitur Comites Baronesque Imperii, perinde ac alii, feuda non Regalia ab Imperio recognoscentes, ne annum petendæ investituræ definitum, tempore Interregni præterlabi patiantur; sed vel renovationem, vel saltem dilationem ab Interregibus petant. Quem annum Principibus Vicariæ investituræ non obnoxii haud currere, planum est; utpote quibus per clausulam reservatoriam Bullæ Carolinæ satis prospectum.

## §. XLIX.

Succedit in A. B. *potestas juramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperii recipiendi*; quæ cum præcedenti Jure investiendi cohæret, & ex illo consequitur. Quid vero? An Vicarii a Civitatibus Imperii, novum jusjurandum tempore Interregni exigere queunt? Pro negativa militat, quod Civitates per præstitum jam ante, vivo Imperatore, homagium Imperio ad fidelitatem teneantur, indeque exactio novi jurisjurandi haudquaquam necessaria

ria



ria sit; præsertim cum non æque, ut vasalli jurantes, pro hoc juramento, vel intuitu ejus, investituram recipiant. Sed ajens sententia firmatur generalitate textus Bullæ, qui non distingvit, vid. *Textor. d. Vicar. Imp. n. 235.* ubi jurisjurandi novi executionem Vicariis, regula Bullæ subnixis, haud recte negari, asserit. Nos quæstionem illam nunc quidem in medio relinquimus. Plane non Civitates solum, sed omnes omnino Imperii Status ac Principes ex Juramento, quod ante vivo Imperatori præstiterunt, Vicariis ad obsequia obstringi, dubio, quod sciam, vacat; sicuti ex adverso vicissim Vicarii ad publicam tutelam nomine & vice Imperii subeundam tenentur.

§. L.

Subjiciuntur in A.B. verba seqq. *Quæ tamen per Regem Romanum postea electum, suo tempore omnia innovari, & de novo sibi juramenta ipsa præstari debebunt.* Nempe ea, quæ Vicarii durante Interregno nomine Imperii gesserunt, Imperator recens electus generali approbatione rata habere solet; non quasi Illorum gesta ante Cæsaream confirmationem nullam vim obligandi habeant, sed illa confirmatio solennis declarationis instar habet, Vicarios Imperii in Interregno munere suo dextre perfunctos esse. Quod vero juramenta Vicariis præstita de novo repeti debeant, speciali ratione nititur, quod nempe Interregni tempore juramentum respectu Imperii quidem, non vero Imperatoris, præstetur; imo si vel maxime Vasalli jurarent, se fore fideles Imperio & futuro Romanorum Regi, tamen Imperatoris interest, habere ipsum vasallos personaliter juramento sibi obstrictos; quæ res, si non arctius saltem expressius vinculum continet, quam vage jurata futuro Imperatori fidelitas, ut loquitur *Textor c. l. n. 240.*

§. LI.

Interdicta vero est Vicariis Imperii per Auream Bullam *omne genus alienationis seu obligationis Rerum Imperialium.* Quæ restrictione an opus fuerit, disquiri solet; cum nec Imperatori sine Electorum consensu hoc licere, sed ejus potestatem hac in re, ab aliquot seculis ipso sacramento fuisse circumscriptam, ex Caroli V. eumque secutorum Cæsarum Capitulationibus constet. Sed an ætate Caroli IV. adeoque tempore conditæ Aureæ Bullæ penes Imperatores facultas alienandi bona Imperii fuerit,

rit,



rit, dubitari solet. Alii asserunt, alii negant. Nobis vel ex hoc ipso A. B. textu satis probabile videtur, aliqualem alienandi potestatem tum usurpasse Imperatores, conniventibus saltem Imperii Statibus, quæ ex adverso Vicariis penitus adempta est; Quod ni ita esset, omnino superflua talis restrictio futura erat; *Rhet. Comment. ad Jus Feud. p. 64. § Jur. Publ. L. 11. tit. 32. §. 5. seq.* Sed hodie eandem hic esse Cæsaris & Vicariorum potestatem, liquido manifestum est.

## §. LII.

Quocirca fallitur *Textor. d. Vicar. Imp. n. 268. seqq.* ubi putat, non magis de Vicario quærendum, possitne res aliquas vel terras ad Imperium pertinentes alienare consensu universonum Ordinum, quam de quolibet alio Imperii Principe. Atqui facile apparet, alienationes & oppignorationes Vicariis interdictas, non nisi de illis, quæ propria auctoritate fiunt, intelligendas esse; quorum consensu autem suscipi valide possint, ex potestate & Jure Cæsaris æstimandum venit. Nec assequor, cur alienationem, durante Interregno factam, comparet cum alienatione sine tutoris auctoritate suscepta. Pupillus enim sine tutore auctore nullum habet de bonis suis disponendi arbitrium, contractusque & negotia eum in modum inita ipso jure nulla sunt. Quis autem, quæso, rerum Civilium peritus hæc ad Remp. quamcunque in Interregno constitutam accommodare velit? Sive enim, regno vacante, Majestas ad totum populum revertatur, sive tantisper in persona Interregis resideat, omnia illius jura interim perinde, ac electo Principe novo, exerceri posse, palam est, nisi quatenus pactio aliqua inter Ordines Imperii inita obstat; a qua ipsa tamen hos recedere, suoque arbitrio liberrime uti posse, ex communi natura conventionum liquet. Unde ipsam Auream Bullam, durante Interregno a Vicariis cum Statuum Imperii consensu mutari posse, aliqui rectissime tradunt. Sed hæc de juribus Serenissimorum Imperii Vicariorum in A. B. expressis, pro ratione instituti præsentis dicta sufficient.

F I N I S.



1777

Coll. diss. B. 122, misc. 1-32  
(misc. 30-31 fehlen!)



